

## CAPUT XXIX.

## DE PRÆBENDIS.

§ 1. *Origo et explicatio præbendæ.*

Ad residendum, prout in præcedentibus dictum est, requiritur sustentatio: æquum enim et justum est, ut ille, qui altari servit, vivere debeat de altari, ut notatur lib. III, Decretal. tit. V, c. XVI, secundum Apostolum I ad Cor. cap. IX. Huic sustentationi inseruiunt præbendæ et distributiones. De illis agetur hoc capite, et de his capite sequente.

I. « Communes erant antiquitus ecclesiæ redditus ac proventus Episcopi et capituli, itemque communis victus... Locus in quo degebant canonici cathedralis, erat contiguus, seu saltem valde vicinus palatio Episcopali, cum hoc necesse esset, ut posset Episcopus eandem vitam vivere et frequentare regularem societatem cum suis canonicis... Ex memorata autem communi massa reddituum, Episcopi et capituli sustentatio pendeat. Sed sensim frigescente charitatis fervore et regulari observantia, eadem massa ex communibus ecclesiæ redditibus conflata, divisa fuit inter Episcopum et capitulum. Ac deinde singulis de capitulo proportionata honorum portio in particularem administrationem concessa fuit, quæ sub nomine præbendæ fuit appellata » (1).

II. Præbenda sic dicitur a *præbere*, quia præbet redditus ad congruam sustentationem. Magis stricte loquendo, præbenda est ipsum jus spirituale pro canonico institutum ad utendum et fruendum rebus atque juribus ad hoc deputatis, et ad ea recipienda atque administranda ratione officii seu canoniæ (2). Præbenda tamen accipi solet pro canonica portione, seu pro fructibus annuis, sive grossis, qui de communi honorum proventuumque ecclesiasticorum massa sumuntur, et propter spirituale ministerium, sive ratione annuæ residentie in loco canonicatus, præbentur singulis canonicis pro sua portione (3). Præbenda sic accepta, comprehendit

(1) Ita Scarfantonus lib. 1, tit. 2, animadv. 8, 10 et 15; Wildt, Off. sive oblig. can. cap. IV, § 1; Thomassinus, Nova et vetus discipl. p. 1, lib. III, cap. VII-X.

(2) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. V, n. 4; Fagnanus in 1, p. 1 Decretal. de constit. c. *Cum M. Ferrariensis* n. 27.

(3) Reiffenstuel loco cit. n. 3; Barbosa de canonicis cap. XII, n. 2; Scarfantonus lib. 1, tit. VI, n. 1.

fructus, redditus et emolumenta, quæ clericis certo obveniunt, ecclesiasticorum officiorum et beneficiorum causa. Hinc ipsa sæpe etiam beneficii dos appellatur, sive consistat in prædiis rusticis aut urbanis, sive in pascuis, sylvis aut similibus, sive in illis juribus, quæ fructuum vicem obtinent, et rebus immobilibus æquantur, uti sunt census, et reliqua ejusdem generis (1), sive hæc bona pro singulis divisa sint, sive massam communem efficiant, ex qua singuli portionem suam recipiunt.

III. Canoniam autem est nomen abstractum: quemadmodum ab amico dicitur amicitia, ita a canonico dicitur canoniam. Hæc est ipsum jus spirituale exercendi ecclesiasticum et divinum officium, canonicis incumbens (2); sive est jus spirituale, quo quis recipitur in fratrem, habet stallum in choro, locum et vocem in capitulo, jus ad præbendam, et facultatem participandi de distributionibus (3).

IV. Differunt igitur præbenda et canoniam. Titulus canoniæ est receptio in fratrem; præbendæ autem collatio: canoniam est jus sedendi in choro, cantandi, ac vocem habendi in capitulo; præbenda vero ex se non habet sedem in choro, nec vocem in capitulo (4). Unde præbenda canonicæ quidem esse nequit sine canoniam ipsi annexa; canoniam vero concipitur sine præbenda, et sine ea existere potest. Præbenda enim non est de substantia canonicatus, quia potest esse canonicus absque præbenda (5), ut constat ex canonicis supranumerariis et honorariis.

Canonicatus tamen trahit ad se præbendam (6), quia non est congruum, ut, cum facultas se obtulerit, præbenda careat, qui in canonicum noscitur esse receptus (7).

(1) J. Devoti, Instit. canonic. lib. II, tit. XIV, § III.

(2) Krimer, lib. III, Decretal. n. 142

(3) Scarfantonus lib. I, tit. VI, n. 4; Pallottini *Canonicus* § II, n. 8; Acta S. Sedis vol. IV, fol. 189, not.

(4) Barbosa de canonicis cap. XII, n. 18-20.

(5) Fagnanus in 1, p. 1 Decretal. de Constit. c. *Cum M. Ferrariensis*, n. 16; Pirhinc lib. III Decretal. tit. V, n. XXXII. Cfr. S. C. C. resp. 29 Mart. 1890 ap. Acta S. Sedis, vol. 22, fol. 684 seqq.

(6) Barbosa loco cit. n. 9.

(7) Lib. III Decretal. tit. V, de præb. et dignit. c. IX *Relatum*, c. XIX *Dilectus*; et tit. VIII de concess. præb. c. VIII, *Cum semper*; Pallottini *Canonicus*, § II, n. 1-19; Vid. supra cap. XI, § 1, n. III.

§ 2. *Pensio quæ a gubernio solvitur in Gallia, Belgio aliisque locis, ad quæ spectat concordatum 1801, habet rationem præbendæ.*

Probatur 1º, quia hæ pensiones omnia habent elementa, quæ vera et proprie dicta beneficia seu præbendas constituunt. Etenim acceptatæ fuerunt ab Ecclesia; ipsius auctoritate spiritualibus officiis in perpetuum erectis adnectuntur; declarantur esse eorundem titulorum dotationes, et non nisi ecclesiasticis personis jus ad illas confertur. Neque juvat regerere pensiones istas, utpote quæ ex publico ærario desumuntur, bona Deo dicata dici non posse, neque proinde esse ecclesiastica, sed mere civilia. Etenim ut proventus aliqui dici queant ecclesiastici, sufficit ut Ecclesia jus habeat ad illos, ipsique debeantur, seu ut ait Leurenus *foro benef. part. 1, quæst. 8*: « sufficit rem esse hypothecatam et affectam onere reali, perpetuo, non extinguibili cum persona, sed cum re ipsa ad quemcumque successorem transeunte » (1). Quapropter in Bulla erectionis diocesis vallis Guidonis 1855 ejusmodi pensiones vocantur canonicales præbendæ (2).

Pensiones istæ non aliquod donum exhibent ex parte civilis auctoritatis, sed compensationem vel commutationem quamdam præ se ferunt cum antiquis ecclesiæ bonis, quæ a gubernio et erepta et divendita fuerant. At vero cum indubitatum sit, quod, si Ecclesia bonum aliquod commutet in aliud, hoc posterius in ipsius cedat patrimonium; jam patet, prædictas pensiones inter ecclesiastica bona accensendas esse (3). Quemadmodum si olim vendita fuissent prædia quæ præbendam constituebant, ea conditione, ut emptor in perpetuum certam pecuniæ summam quotannis solveret, redditus ille annuus vere et proprie præbenda fuisset; ita nunc pensio gubernii.

Hinc est, quod ex his pensionibus, tanquam ex bonis ecclesiasticis, dotationem illarum ecclesiarum, ad quas idipsum attinebat, Sancta Sedes constituerit, uti liquet ex verbis Cardinalis Legati, qui in decreto 9 Aprilis 1802 *Cum Sanctissimus Dominus*, sic declarat: « Metropolitanis, et Cathedralibus ecclesiis sic constitutis,

(1) Ita votum S. C. C. in *Carcassonen.* 22 Aug. 1874. In *analectis juris Pont* 1874, fol. 860.

(2) *Analecta juris Pontificii* 1863, fol. 2051.

(3) *Analecta* loco cit.

» illud superesset ut juxta receptam Apostolicæ Sedis consuetudinem de earundem dotatione, et redditibus statueremus. Sed  
» cum hanc ipsam dotationem Gallicanum gubernium, memoratæ conventionis vigore, in se susceperit, ut, quantum in nobis est, præfatæ consuetudini satisfaciamus, declaramus, earundem ecclesiarum dotationem ex iis redditibus conflata fore, qui ab ipso gubernio, juxta præfatæ conventionis tenorem, singulis Archiepiscopis, et Episcopis quamprimum assignandi erunt, quosque sufficientes fore juste confidimus, ut iidem Archiepiscopi et Episcopi dignitatis suæ decenter onera ferre, et munia digne valeant implere. »

Præterea ut supra § 1, n. II, juxta J. Devoti dictum est, præbenda consistere potest non tantum in prædiis, sed etiam in illis juribus, quæ fructuum vicem obtinent, et rebus immobilibus æquantur, uti sunt census et reliqua ejusdem generis.

Probatur 2º ex variis declarationibus 1º Sacræ Pœnitentiariæ, a qua quæsitum fuerat: *An salaria, quæ in Belgio solvuntur pastoribus et canonicis, induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et annexam habeant obligationem inhærentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et residendi sub pœna non faciendi fructus suos?* Sacra Pœnitentia rescripsit, jam alias a Sancta Sede responsum fuisse: *Affirmative*, 19 Januarii 1819.

2º S. Congregationis Rituum in Cameracen, a qua rogatur, ut declarare dignaretur: *Utrum canonicis, prout a tempore concordatus 1801 in Galliis instituti sunt, incumbit obligatio non tantum assistendi in choro celebrationi divinarum laudum, prout in respectivis capitulis est instituta, sed etiam cantandi horas canonicas in choro, ita ut canonicus in Galliis assistens quidem in choro, sed non decantans publicas preces canonicas, peccet mortaliter, et teneatur ad restitutionem partis fructuum omissioni correspondentis? Emus et Rmus D. Card. S. R. C. Præfectus vigore facultatum sibi specialiter a SS. D. Gregorio XVI tributarum rescribi mandavit: Canonicum in casu juxta alias decreta obligationi non satisfacere*, 22 Maji 1841.

3º Sacræ Pœnitentiariæ: *An honoraria sacerdotibus a gubernio data, seu ex functionibus ecclesiasticis provenientia, sint bona quasi patrimonialia? Sacra Pœnitentia ad proposita dubia ita respondendum censuit: Alias fuisse a selecta*

*Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium responsum : quod si agatur de pensionibus constitutis loco reddituum, quos beneficiarii antea percipiebant ex fundis seu loco suorum beneficiorum, eas censi redditus ecclesiasticos, non quasi patrimoniales. Secus vero si agatur de stipendiis quæ dantur laborantibus inserviendo functionibus ecclesiasticis tanquam merces operis, et ad operantis sustentationem : hæc enim bona censentur quasi patrimonialia, 9 Januarii 1823 (1). Quæ in his responsis declarantur, veris beneficiis et præbendis competunt, adeoque probant pensiones, quæ canonicis a gubernio solvuntur, ut præbendas considerandas et habendas esse (2).*

Dubitari igitur non debet, pensiones illas ut veras præbendas habendas esse. Si tamen concederetur, illas veri beneficii seu præbendæ rationem non habere; hoc tamen admittendum est, pensiones esse loco præbendarum. et proinde certum et indubitatum esse, canonicos qui eas recipiunt, ex ipsis justitiæ principiis, ad munera sibi commissa rite adimplenda omnino teneri : secus enim stipendium sine titulo sufficienti reciperent : sicut S. Concilii Congregatio in causa Carcassonen. 22 Augusti 1874 rescripsit, *canonicos qui pensiones illas a gubernio accipiunt, teneri ad residentiam et servitium chori* (3).

### § 3. De redditibus consistentibus in solis distributionibus.

Si canonici præbendas distinctas non habeant, sed omnes fructus consistant in distributionibus quotidianis; tunc duæ partes distributionum assumunt nomen et naturam præbendæ, ejus loco succedunt ad omnes juris effectus, et etiam absentibus conceduntur; tertia autem distributionum pars præsentibus accessit, sive ut alias inservit pro distributionibus.

Idem obtinet, ubi redditus præbendæ tam tenues sunt, ut tertiam partem distributionum non attingant; tunc similiter duæ partes præbendæ ac distributionum insimul cumularum locum tenent præbendæ, et tertia pars inservientibus accessit (4).

(1) Apud Bouix de capitulis p. 1, sect. III, cap. III, et supplementum I.

(2) Bouix loco cit. Craisson Manuale jur. Can. n. 2260; Analecta jur. Pontif. 1874, sér. 13, fol. 858-865; Soglia Instit. jur. publ. et priv. edit. Paris. Appendix § XXIII; Huguenin Expositio jur. Can. tom. 1, fol. 380, II.

(3) Analecta loco cit. fol. 865.

(4) S. C. C. in *Avenionen.* 13 Januarii 1635, lib. 15, decret.; in *Tranen.* 11 Maji.

Nota, juxta De Luca adnot. *ad Concil. Trid.* disc. 15, n. 15, commendabilem esse mentique Tridentini consonam consuetudinem "reducendi omnes præbendas, totumque mensæ capitularis assem ad formam distributionum". Ap. Acta S. Sedis, vol. 15, fol. 81.

### § 4. De collatione præbendæ sine dilatione, diminutione et divisione, nec non de ejus suppressione.

I. *Cum præbendas ecclesiasticas... in aliqua ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso, sed intra sex menses personis, quæ digne administrare valeant, conferantur.* Ita lib. III Decretal. tit. VIII de concessione præb. c. II, *Nulla* (1).

Attamen verum est, quod præcedens Canon contra negligentes tantum promulgatus fuerit, ut declaratur ibidem de concessione præbendæ c. V, *Quia diversitatem*; ita ut omne tempus, quo Episcopus in conferenda præbenda, negligens non fuerit, intra sex menses non computetur.

Ut autem quis negligens non sit, requiritur ut justo detineatur impedimento, ita ut jus suum exercere non valeat. Hoc impedimento est vel juris, ut si Episcopus suspensus sit ab exercitio jurisdictionis, sicut erat ille, de quo agit c. V, *Quia diversitatem*, lib. III Decretal. tit. VIII, de concess. præb.; vel facti, ut si Episcopus violenter detineatur et impediatur (2).

Legitimo autem impedimento non obstante, et elapso spatio sex mensium post notitiam vacationis (3), is ad quem primo loco spectabat collatio præbendæ, eam amplius conferre non potest ex lib. 1. Decretal. tit. X, de suppl. neglig. Præl. c. V, *Dilecto filio*, ubi Innocentius III declarat: *Post elapsam sex mensium spatium*

1698; in *Venusina*, 4 Dec. 1762; in *Valven.* et *Sulmonen.* 28 Sept. 1858; Pallotini *Canonicus* § II, n. 5; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Quia in tantum*, n. 29; Barbosa de canonic. c. XXI, n. 31; Scarfantonus lib. 2, tit. X, animadv. 18 20, et tit. XI, animadv. 1, 11, 28; Lucidi de Visitat. SS. Lim. vol. 2, postulatam sextum fol. 582.

(1) Item lib. 1, Decretal. tit. X, de suppl. neglig. Præl. c. III, *Licet*; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de concess. præb. c. *Nulla*, n. 2 et 24; Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. X, n. 22; Lucius Ferraris, beneficium art. III, n. 86.

(2) Fagnanus in 1, p. III Decretal. de concess. præb. c. *Nulla*, n. 33; J. Devoti jur. Can. univ. lib. 1, tit. X, § III.

(3) Lib. 1. Decret. tit. X, de suppl. neglig. Præl. c. III *Licet*; lib. III, tit. VIII, de concess. præb. c. V, *Quia diversitatem*.

*electionem decernimus irritam et inanem* (1). Et hoc adeo verum est, ut non valeat collatio, etiamsi primo die post sex menses fiat (2).

Quod si Episcopus nihilominus post lapsum sex mensium præbendas contulerit, provisio hæc ab Episcopo facta, quæ nulla est, numquam convallescere potest (3); nisi tamen personis idoneis assignatæ fuerint, et superior, ad quem collatio devoluta est, eas de patientia permittat ab ipsis pacifice possideri, ex c. IV *Litteras* lib. 1. Decretal. tit. X, de suppl. negligent. Præl. Quia licet superior non possit convalidare collationem ipso jure nullam; cum tamen ad ipsum propter negligentiam alterius, jus conferendi devolutum sit, bene de novo conferre potest, quod tacite facere videtur (4). Quinimo juxta De Angelis (5), si collator post lapsum sex mensium contulerit « actus non est ipso jure nullus, sed a superiori rescindibilis; hinc provisos potest pergere ad possessionem, quamdiu superior non interveniat. Et hoc est jus hodiernum quoad tempus, si tamen in aliquibus servantur istæ formæ ».

II. Non tantum prohibitum est, ne quis, conferendo beneficium ecclesiasticum, partem proventuum suis usibus retinere præsumat; sed et beneficia ecclesiastica sine diminutione debent conferri, juxta lib. III Decretal. tit. XII, ut eccl. benef. sine dimit. conf. c. unic. *Ul nostrum*.

Episcopus tamen et capitulum præbendæ vacanti honestum onus imponere possunt, ad quod præbendarius teneatur, juxta lib. III Decretal. tit. V de præbendis c. XI *Significatum*, v. g. quotidie missam de Sancta Maria celebrare, etc.

Possunt etiam Episcopi ex jam diu invecta consuetudine pensiones imponere in collatione beneficiorum: ejusmodi autem pensiones, quæ ab Episcopis imponuntur, non possunt considerari tanquam onera realia beneficio imposita, sed considerari debent tanquam onera personalia imposita beneficiario: et ideo Episcopi generatim non possunt imponere pensiones perpetuas, v. g. in favorem alicujus collegii, quod nunquam moritur, vel alicujus præbendæ. Hujusmodi enim pensiones non solum gravarent beneficiarium sed ipsum beneficium, et fieret veluti beneficii sectio, quam sectionem,

(1) Fagnanus loco cit. n. 24; J. Devoti loco cit. § IV.

(2) Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. X, n. 24.

(3) S. C. C. 19 Aug. 1775, *Urban*. § 6, apud Zamboni tom. IV, *Canonicatus* § VI.

(4) Ita Reiffenstuel loco cit. et J. Devoti loco cit., § 4.

(5) Prælect. jur. Can. lib. 1, tit. X, n. 4.

obstante principio, ut *beneficia sine diminutione conferantur*, Episcopi auctoritate ordinaria generatim facere non possunt (1).

III. Præbendæ dividi non debent juxta lib. III Decretal. tit. V, de præb. et dignit. c. VIII, *Majoribus*, nisi rationabili causa de vacante præbenda duæ fuerint constitutæ, ac tot sint utriusque proventus, quod per utramque sit utrique provisum in beneficio competente, ex c. XXVI *vacante* ibidem (2).

IV. Præbendæ supprimendæ non sunt. Cum autem Episcopus curare debeat, ut canonici habeant præbendas sufficientes ad victum, pro sustinendo decente canonicorum gradu, præbendas tenues vacantes ad pauciores numerum reducere potest, ut dictum est capite III, § 1, n. II (3).

### CAPUT XXX.

#### DE DISTRIBUTIONIBUS.

##### § 1. *Distributionum origo, finis, definitio et divisio.*

I. Initio Ecclesiæ beneficia ex solis distributionibus constare videbantur: nam congestis oblationibus atque elemosynis fidelium, alebantur in diem clerici, qui ecclesiæ inserviebant. Cum deinde beneficia institui cœpissent, ipsisque certus fundus attribui, secerni pariter cœperunt fructus præbendæ, et distributiones. Ivo Charnotensis distributiones ejusmodi primus excogitavit, in cujus epistola 219 legitur: *Cum in quam pluribus canonicorum Charnotensium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi; ut, quos panis interni dulcedo non movebat, panis corporis refectio provocaret, quamvis eorum annua præbenda ad hoc sufficiens esse deberet* (4).

(1) Ita Acta S. Sedis vol. IV, fol. 78, not.; Fagnanus, in 1, p. III Decretal. de præbendis c. *Nisi essent*, n. 14 et seqq.

(2) Krimer lib. III, Decretal. q. XII, n. 976.

(3) Scarfantonus lib. 1, tit. VI, n. 11.

(4) Bened. XIV, Inst. 107, § VII.